

§. 2. Videbimus quid ad alterum dicat : *tiro, inquit, diceret, limita maiorem ; quod per se primò semper & unicè movetur ad exercitium intellectus, id est eius organum, &c.* Ego verò affirmare non vereor, 1. si Watsonius titones suos ita informet, ut ipse hic procedit, agere ipsum cœcum cœcorum ducem. Ego cùm adhuc tali loco essem, quali esse jam perhibetur Watsonius, Rector scil. Scholæ, discipulos meos jubebã in argumento contra se allato, intueri ante omnia conclusionem, feriat ne ea statum controversiæ verâ contradictione ; ita facilius posse pronunciare de veritate, connexione, & similibus conditionibus præmissarum. Conclusio quippe mea non est, cerebrum esse adæquatum solius intellectus organum. Cùm enim Phantasia & intellectus passivus sint facultates subordinatæ, mirum non est, eodem uti organo, nec necesse, quod putat Watsonius, *ut per se, primò semper & unicè moveatur ad exercitium intellectus.* Sufficit moveri & ab intellectu pro organo usurpari. Et 2. quæ consequentia? 3. Imò quàm venusta ἀκυρολογία? 4. Quam pulchra argumentatio à puris particularibus? in iis quæ subnectit. *At hoc [moveri ad exercitium intellectus] tantum animæ intelligenti convenit, cerebro longe per accidens, cùm percipit quædam alteratis sensibus in corde, ex quo etiam surgunt humores, qui inducunt somnum, varia phantasmata & catarrhos, &c.* Quæ, inquam, consequentia, 1. intelligere competit animæ intelligenti, E. non competit cerebro saltem ut organo? Fabri est fabricare, E. non utitur malleo. Et nonne ἀκυρολογία est, moveri ad exercitium intellectus, esse animæ rationalis; quasi exercitium intellectus moveret animam rationalem, nec potius ipsa eliceret aut susciperet exercitium. Quæ iterum consequentia? & nonne argumentum ex puris particularibus est ; imaginationes oriuntur ex alteratis sensibus, E. omnes inde oriuntur.

### Quæstio III.

Quæ sit causa diversitatis sexus in homine?

§. 1. Hic mirè & miserè ut omnes Logicos & Physicos misereat, va pulo à Watsonio pag. 418. & seqq. Primo iterum me perstringit hoc nomine, quòd in Physica mea Aristotelica non sequat etiam hæc in parte sententiam Aristotelis. Sed ad hoc satis est responsum initio. Mancipiis Aristotelicis hæc occinat, non mihi, qui indignor quoties vel Aristotelis adversarii similem philosophandi modum nostratibus